

attendat. Qualem sabbatum quo quis adhibuerit fidelius ac frequentius, eo majorem sensus teneritudinem conscientiae suae induet. Atque ita mens habet censorem domesticum satis acrem, qui, ubi, quando, & quomodo ea in alterutram partem ab æquilibrio recesserit, quam promptissime monebit.

## PROPOSITIO OCTAVA

De æquilibrii confirmatione ac usu in precibus.

Aequilibrium *fidei ac fidelitatis* uti univèrsum christianismum, sic in eo præcipue praxin precum animat, conditque ac dirigit, in ea adeo necessarium, ut, quo istud est exactius, eo rectior hæc sit, & sine utraque, aut alterutra ejus parte, aut plane exspiret, aut irrita sit.

## ILLUSTRATIO.

1. Aequilibrium istud universam christianismi praxin animare, ac in vigore suo florenti conservare, vel inde satis liquet, quod animum, in gratiæ statum semel recte translatum, immunem præstat ex una parte ab accidia, *fidelitatis* noxa, nec non ab evangelii abusu, certe a non satis digna ejus collocatione; ex altera ab intempestiva legis applicatione, nil nisi anxietatem & hæsitationem de Dei gratia pariente.

C 2

2, Utri-